

14775.

Q. D. B. V.

M12

Ad

Vitam Agricolaë

1650

22

Quam Tacitus tradit

DISSERTATIO POLITICA

DE

27

AULICO

Quam

PRÆSIDE

DN. MICHAELE VVEN-
DELERO,

S.S. Theologiæ Lic. Practicæ Philosophiæ Professore
Publico, ac p.t. Almæ Leucoræ Rectore

Magnifico,

Domino, Patrono, ac Præceptore suo
etatem colendo,

Publico eruditorum examini subjicit

JOHANNES DAVID OPPEL,

Eq. Misn.

Ad diem XI. Julii.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Typis FINCELIANIS,

ANNO MDCCCL.



1788
POLITICAL ECONOMY
AND
POLITICAL JUSTICE
BY
JAMES MILL
IN TWO VOLUMES
VOL. I
LONDON
PRINTED BY RICHARD CLAY AND COMPANY, BUNGAY, SUFFOLK
1963



760.

VIRIS
GENEROSIS, MAGNIFICIS, NO-
BILISSIMIS AC SUM-
MIS

DN. FRIDERICO A METZSCH,
In Reichenbach & Friesen Toparchæ,
S. Romani Imperii Archithesaurario, Serenissimi Principis
Electoris Saxonie Consiliario Intimo, & in Ecclesi-
astico Senatu Præsidi:

DOMINO AC PATRONO MEO
MAXIMO SANCTE QVE
COLENDO.

Nec non

DN. JOHANNI GEORGIO OPPEL,
In Lomnitz, Gosda, & Oberlichtenau
Hereditario,


*Jcto Celeberrimo, Comiti Pal. Casareo, Serenis-
sime Electoris Saxonie Consiliario
Intimo,*

PATRI OPTIMO

&

*Nulli non Amoris & Honoris Genere
colendo,*

FELICITATEM!


Sicut id sedulo haectenus navavi operam,
ut pietatem meam vobis cum maxime,
ut par erat, probarem; ita hanc meam dis-
sertatiunculam quoque de Aulico, non alio,
quam vestro, EMINENTISSIMI VIRORUM,
auspicato illo nomine praescribere & dedi-
care sustinui. Enimvero si quaelibet res li-
benter se refert, & sponte quadam tendit
ad id, unde initium habet, existitque ac est,
non aliis offerri hoc munus aut dedicari
oportuit, quam unde causa ejus omnis
promanat. Nam alterum vestrum natu-
ra; alterum pietas mihi effecit Patrem.
Quum ille genuerit; hic me de fonte susce-
perit renatum. uterque autem haectenus
mihi ad capeffenda haec studia autor atque
promotor existiterit, quorum nunc cape-
re experimentum libuit, & vobis speci-
men dare. Accipite igitur, quodcunque
est laboris scholastici, serena fronte: non
quia

76a.
quia diguū tantorum virorum personis;
sed quatenus observantiæ sanctissimiq; af-
fectus mei erga vos præstare pignus, & ar-
gumento esse potest: nec non favete mihi
in posterū quoq; , ut consuevistis hætenus:
qui vos vicissim amare, colere, ac vene-
rari non ante desinam, quàm ipse esse de-
fiero. DEUS VOS SERVET.

Illustris Nominis Vestri

Cultor devotissimus

AUTOR



Magni Parentis & de patriâ nostra opti-
mè meriti Viri filio.

Condecorat genitor natum, Natusq; vicis-
sim

Insignis patrem condecorare potest.
Natus es, OPPELI, magni de sanguine Patris,
Quo nil majus habet Misnica terra Viro.
Inde tibi nato clarissima gloria surgit,
Quæ sat currenti nobile calcar erit.
Cumque boni civis fungaris munere, chari
Pertentent mentem gaudia mille Patris.

Michael Wendelerus P. P.

*Et p. t. Academia
Rector.*



Ad

*Nobilissimum, summique ingenii Ju-
venem,*

JOHANNEM DAVIDEM OPPEL

DE

AULICO

Ex

Taciti Agricola

Disputantem.

Qvò

762.
Quò possit privatus homo procedere
laudis,
Sive toga hunc deceat, seu magis arma
juvent,

Agricola exemplum Genero condente reliquit,

Quò majus forsan proderet nemo queat:

Quod dum scrutaris, civiles deligis artes,

OPPELI, & quantum vindicet aula
notas,

Aula mare est; quare ne naufraga sorbeat unda,
Prudenti perquam est Cymba regenda
manu.

Id discis, scriptoq; mones, ut vivere possis

Vir, Juveni egregie quæ modò scripta tibi.

Augustus Buchnerus.

•••••
Nutrix Potentum, Gratiarum filia,
Parens honorum, Mater Elegantiæ,
Mundi Theatrum, Gloria compendium,
Hic disputatur AULA non umbraticè.
Vis disputantem? Noster est OPELIUS,
Parente, Seq, Dotibusq; nobilis,
Aule futurus civis inculpabilis,

Et

Et eminentum (cum DEO,) decus Ducum
Qui tam severe, tam politè, tam benè
Ætate novit pingere Aulam tantulâ,
Non ille quondam non potest laudabilis
Aulis præesse Rector Imperantium.
EVAX OPELI! Disputa nunc Aulica
Et mox gubernâ non minùs benè Aulicos!

Nobil. ac Elegantissimo
DOMINO

JOHANN. DAVID. O P P E L

Fautori ac Amico suo

L. M. Q. P.

JOSUA ARNDIUS,
P. Cesar.





Ad
 Vitam Agricolaë,
 Quam Tacitus tradit,
 DISSERTATIO PO-
 LITICA
 De
 AULICO.

Non dubito fore, qui hoc nostrum
 atatis immaturum adhuc & nondum
 firmum satis, aut dignum etiam expo-
 nendis principum aulis judicent: im-
 primis si veterem atq; vulgatam eam rem esse vi-
 deant, quam descripturis iterum aut certius ali-
 quid afferendum, aut superandus eorum erat la-
 bor, qui jam dudum ingeniis celeberrimi ad pro-
 denda aularum mysteria publicæ utilitatis pretio
 ducebantur, sed hi erunt ferme, quibus aut de
 instituti nostri ratione constat parum, aut quæ
 non ipsi fecerint satis, æquo ferre animo agrè pos-
 sunt. Rectius existimabunt tamen, si didicerint,
 haud esse instituti nostri, ferre leges ministris
 Principum, aut novis præceptis condere discipli-
 nam aularum; sed in eo demum nostram occupari
 operam, ut velut in speculo ostentantes clarorum
 virorum facta ac mores, quid in iis imprimis præ-
 clarum ac nobile, incondita ac rudi voce delinee-
 mus. Est enim in cognitione rerum illud præcipuè
 salubre ac frugiferum, omnis te exempli documen-
 ta in

Liv. l. 1. pr.

B



ta in illustri posita monumento intueri, unde tibi
 tuæq; vitæ quod imitere capias: fœdum inceptu, fœ-
 dum exitu, quod vites. *Ceterum, aut me fallit opi-
 nio, aut nemo unquam aulicorum nec pruden-
 tior, nec bonis exemplis ditior Cn. Julio Agricola
 fuit. Qui licet in sæva admodum atq; infesta vir-
 tutibus tempora incidisset; ea prudentia tamen,
 se rexit, ut documento clarissimo esset, posse etiam,
 sub malis principibus magnos viros existere,*
Tac. An. 4, interq; abruptam contumaciam & deforme obsequi-
20, 4. um pergere iter ambitione atq; periculis vacuum.
*Qua modestia viri ac sapientia, quum contem-
 plarer mecum propensius paulò, narrante & ex-
 ponente C. Tacito, summo auctore, ita in admiratio-
 nem me rapuit, ut impetum capere ex tot illius in-
 signibusq; artibus, quibus ad omnem memoriam
 se dedit spectabilem, excerpenti & stylo condendi
 maxime, quæ ad degendam in aulis vitæ rectè ac
 commodè, facere ac pertinere videbantur. Quo-
 rum quum duo genera sint, aliq; eorum in ipso
 animo insint ac niteant, alia verò extra hunc po-
 sita sint; ita utroq; Agricola prestitit eminuitq;
 ut magnum in altero, in altero divinum prope-
 modum vocare queas. Sed primo loco externa
 juvabit aspicere, & post deinceps, quæ intus sita
 fuerunt investigare.*

Tac. Agr.
4, 1.

Barcl. Icon.
anim. c. 9.
p. 441.
Busbeqv. e-
pist. 1. p. 100.

I. In externis igitur ipsum primo loco commen-
 dat *eqvestris nobilitas & avitum genus, non minis
 necessarium aulico, quàm decorum. Quamquã enim
 haud me fugiat multis probari Turcarum institutum,
 suetæ servilibus gentis, & suo quoq; iudicio vilis, quo
 quemq; ut sua virtus nobilitat, ita & evehunt; neq;
 aut nasci, aut propagari traducive virtutem, sed cœ-
 litus*

litus tantum infundi in animos autumant. Neq; negari potest, in infima etiam plebe excellentissima aliquando ingenia nasci, quæ ut capaci altitudine suâ jacere non debent, ita à maximarum rerum actu excludenda penitus haud sunt; nescio tamen quomodo illustri loco natas mentes fastigiorum sublimitas magis deceat, dum quædam congenita ab incunabulis ipsis propè ambit majestas; quum qui ex humili ascenderunt in summum, ut malè assueti illi fortunæ insolefcant haud rarò, & quædam circumacti vertigine, quæ seipsum non rarò, aut publicum, sive affligant, sive evertant. Qualem *Wolfeum* fuisse illustris seculi nostri Historicus tradit, quem loco vili & sordido natum Henricus VII. Angliæ Rex eò provexerat, ut in Cardinalium adoptatus collegium omnia regni negotia administraret. Egregiè planè de his *Agrippa* disserit, dum ita ad Augustum fatur: *Quid præclari homo gerat ignavus aut ignobilis? quis eum non despiciat hostis? quis ei socius obtemperet? & mox, Nec omittendum,* ait, *ejusmodi virum, si rem malè gerat, plus Tibi damni quàm hostes ipsos daturum, sin rectè aliquid egerit, amentia correptum iri statim ejus animum, expertem bonæ disciplinae, eumq; tibi ipsi fore formidabilem.* Adeò hæret in liberis parentum virtus aut vitium, & sicut in equis nobilitatem amat equorum domitor, venator in catulis, quæ magis, qui hominem amat, hominis genus inquireret? Imò, si fluvios, laudamus, ortos ex puris fontibus, si plantas, quorum semina manent arente stipite, quis in hominibus nobilitatem non laudabit, quæ ex virtute, tanquam puro fonte, orta præstantiam suam retinet?

II. Accedebat generi forma, decenti corporis habi-

B 2

tu

264.

*Tbuan. l. 1.
p. 13. A.*

*Dio. Cass. l.
52. p. 469.*

*Max. Tyr.
diss. 24. p.
170.*

Tac. Agr.

44, 1. *tu, vultuq; & oris gratiâ decora.* Quæ singula licet for-
 tuita & inania putentur à quibusdam, plurimum ta-
 men addere dignitati solent. Sic visu venerabilis ma-
 ximo autorum Tacito prædicatur *Germanicus*. Et bar-
 An. l. 2. c. 72. *baris quoq; hominibus in corpore veneratio est; magno-*
 n. 3. *rumq; operum non alios capaces putant, quàm quos eximia*
 Curt. l. 6, c. 5. n. 29. *specie donare natura dignata est.* Hinc *Agésilau*s quum
 Corn. Nep. *Agef. p. 296* maleficam in corpore naturam nactus esset, facile ac-
 cidit, ut ignoti, quum faciem intuerentur, contemne-
 rent: & celeberrimus Achæorum Imperator *Philopæ-*
 Plut. V. Phi- *menes*, quum apud Megarenses hospitem cœnatu-
 lop. c. 2. *rus* jussu mulieris ignotus ligna finderet, superveni-
 enti & attonito tam nova re viro respondit: *deformi-*
 Lat. Pacat. *tatis sue se pœnas pendere.* Præterea rarò ex deformati
 paneg. The- *humiliq; corpusculo formosus ac magnus exit ani-*
 od. c. 6. *mus, nec frustra sapientum opinione augustissima quæq; fa-*
cies plurimum creditur trahere de cælo. Sive enim divi-
nus ille animus, venturus in corpus, dignum prius meta-
tur hospitium, sive quum venerit, fingit habitaculum,
pro habitu suo, sive alterum ex altero crescit, & sic
utraq; majora sunt. Namq; & gemmis nitor acce-
dit si auro includantur, quamvis per se pretiosis, &
Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Quum
 Virgil. Æ- *decorus corporis habitus faciat splendere virtutes,*
 neid. 5. v. *vitia erubescere: in deformibus verò plerunq; du-*
 344. *ret idem animi corporisq; consensus, & natura ubi in*
 Bacon. de *uno peccat, periclitetur in altero.*
 Verulam. *III. Talis Domitiam Decidianam, splendidis natali-*
 ferm. fid. *bus ortam, sibi junxit, idq; matrimonium ad majora ni-*
 41, & 42. *tenti decus ac robur fuit.* Erat enim *Domitia* gens, in
 Tac. Agr. 6, *quam adoptata fuerat uxor Agricolaë, longè nobilis-*
 1. *simæ Romæ, & per Neronem in ipsam Cæsarum stir-*
 Buchn. ad *pem*
 b. l.

pem inserta: hinc ingens Decidianam sequebatur nobilitas, quæ juncta nobilitati Agricolaë, multum ei decoris ad majora nitenti addere poterat, quum tantò dignior videretur, quò conspectior esset. Solet enim mirari talia vulgus & sæpe in externis stupet, inanium *Tac. An. 13, 8, 4.* etiam specie movendus. Imparia verò matrimonia semper invisa, quin ipsis etiam regibus infausta fuerunt. Hæc An. 1568. movebant in Svecia motus gravissimos, quique non nisi magnâ simul imperii factâ mutatione sopirentur. Quum enim haud detestatus matrimonii infamiam *Ericus rex*, cum concubina *Catharina*, humili loco nata, ex qua duos liberos sustulerat, Holmiæ in Templo solenni ritu nuptias celebraret publicè, accidit, ut offensi tam indignis suo genere nuptiis Johannes Finniæ & Carolus Sudermanniæ duces, defectione factâ, victores Stokholmiam intrarent, & coniecto in carcerem Erico, regno potirentur. Egregio in posterum exemplo, ne principes & magnates, dum sibi quicquid licere putant, potentiâ suâ ad libidines & scelera abutantur.

IV. Nec in hoc tantùm felix Agricola fuit, quòd tali potitus fuxore fuerat, quæ decus ac ornamentum afferret familiæ, sed quæ ingens quoque addere robur poterat. Quod adjumenti enim conferebat viro Domitia petenti honores, dum tot illustres daret potentesque affines, quorum ope eniteretur magis, dum opes quoque, & propter dignitatem in qua constituta erat luculentam dotem præberet, quibus tum ad tuendam nobilitatem generis, quæ Romæ æstimabatur ex divitiis, tam magistratum quoque dignitatem, quos appetebat, poterat. Neque malum est, si quos ambis hono-

honestas, merearis virtute, hæc adhibere, quæ non indignum obtrudant, sed commendent magis jamdudum promerentem. Quod temperamentum si defuerit, ignotus, sin excefferis, idẽ ambiciosus eris, nec sine temeritatis opinione. *Quũ necesse sit, ut qui emit vèdat, & qui ante corruptit alios, quis corrũpi & ipsũ prohibeat?* Ex quo prudenter admodũ *Elisabetha Austria*, prefectura ad Maximilianum Patrem mandabat GONDIO, quem provinciæ suæ administratorem relinquebat in Gallia, *ut munera publica viris idoneis, de quorum integritate ipsi constaret, nullo accepto pretio attribueret.* Quod consilium tantò laudandum impensius, quã detestanda magis communis Gallorum consuetudo, quã jamdudum maximus Historicorum nostri temporis Thuanus invaluisse aulicorum avaritiã queritur, *ut hujusmodi res turpissimã passim nundinatione prostent.* Ita enim accidit, ut excludat egentium virtutes, pervicax licitatio, & ad emendæ curiæ aut præfecturæ ambitum, dum hæc nummorum pugna inicitur, sapissimè ii vincant, qui ut sanguine sic & ingenio cedunt.

Barcl. Ic.
an. c. 3. p.
374.

Tac. Agr.
40, 4.
l. 1. Epist.
2. ad Qu.
fr. p. 573. C.
Sen. ep. 79.

l. 5. epigr. 13.

V. Sed neq; his cumulasse Agricola contenta, fortuna addiderat *Famam*, ingens mortalibus bonum, & in quo rationis salutisq; omnium qui ad Remp. tendunt, maximam partem Cicero collocat. Quæ tantò admiranda impensius, quò rarior est. Siquidem post mortem quidem haud evanescit præclara virtus, nec interit, quod ex fama est, ejus pretium, plerunq; tamen nobiscum viventibus livor indicit silentium, conditamq; & compressam sui malignitate seculi virtutem fera dies aperit. Adeo, ut non immeritò sibi gratuletur *Martialis*, dum rejectis Callistrati divitiis ita hanc solam evehit:

Sum,

Sum, fateor, semperq; fui, Callistrate, pauper;
Sed non obscurus nec malè notus Eques.

766

Sed toto legor Orbe frequens, & dicitur: Hic est.

Quodq; cinis paucis, hoc mihi vita dedit.

Solemus enim homines ea sub oculis posita negligere,
seu ita naturà comparatum, ut proximorum incuriosi lon-
ginq; a se ceterumur: seu quod omnium rerum cupido languet
scit, quum facilis occasio est; seu quòd differimus, tanquam
sepe visuri, quod datur videre quoties velis cernere.
Accedit deniq; ipsum illud vitium, quod magnis par-
visq; civitatibus commune. Noster queritur, ignorantia
recti atq; invidia, quo facilè factum, ut ipsius Agricola
maximam & ipsi Principi invidendam famam,
quum Romam reverteretur, pleriq; quibus magnos viros
per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoq; eo, quere-
rent: obfuscare tamen penitus tam magnam nobilem-
q; virtutem haud poterat livor, sed interpretaban-
tur eam, qui judicabant rectius, & jam vivus frueba-
tur laude sua Agricola, quæ mox æternitate ipsum do-
natura erat.

Plin. l. 8. ep.
20.

Agr. c. 1. n. 1.

Ibid. 40, 4.

VI. Sed hæc Externa sunt, & quæ ad existimatio-
nem Agricolaë non magnoperè faciunt. Animum
ipsum, ex eoq; facta ac mores uberius nunc evolvere
placeat, qui tantò major, tantoq; illustrior existit in
Agricola, quantò levia & caduca immortalibus &
nunquam desituris bonis postponenda.

VII. Jamq; ipsa naturà ad summa quæq; factus
Agricola erat, quam quum bonam & integram nactus
esset, ut assequeretur honores feliciter nitebatur. So-
let enim maximè stimulos addere ipsa naturalis in-
clinatio, nec hortatione egent magna ingenia aut
sensationis oratione plenà: ex sese potius vires incitant
&

Tac. Agr.
4, 4.

& semet confirmant. Ut fiat quod Poëta ait:

Stat. The-
baid. 2, 12.

— Hortamina fortes

Præveniunt.

Buxhorn.

Embl. pol. 11.

Cic. de Fin.
l. 5. c. 15.

Et sicut *vitis* quum primùm exurgere cœpit, tendit sursum & cum sude exurgit; sicut & *Palma* crescit ex furculo, nec incurvatur: ita perpetuò progreditur magnus animus, & rectà tendit ad honores, quibus se natum non malè existimat. *Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamq; causam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur; sunt enim prima elementa natura, quibus auctis virtutis quasi carmen efficitur.*

Tac. Agr.
4, 6.

Buchn. ad
h. l.

IIX. Nec obstat transgressum paulò *Agricolam*, & appetisse vehementiùs pulchritudinem & speciem excelsæ magnæq; gloriæ quam cautè, & absq; impetu. Quum immoderati sit & vehementis animi sequi libidinem vota, intendere; cauti & circumspectatione constringere, nec petere nisi concessa & obtinenda. Sed hæc limat jus iudicium & annos postulant, nec aut requiri in tenera ætate, aut, si deficient, culpari tantoperè poterunt.

Buchn. ibid.

Plut. Comp.

Agid. &

Cleom. pr.

p. 795. D.

Sunt enim pleni animis juvenes, & dum magnos alunt spiritus, multa & magna impetu potius, quam justâ provisione cupiunt & moliuntur. Nascentesq; in ea ætate & suppullulantes virtutes rectè factorum fulciuntur laudibus, & adolescunt in reliquum, animo excitata.

IX.

Atq;

hinc ipsa illa naturalis fuit *Prudentia*,

quæ aucta educatione egregiâ aliisq; mediis ita succrevit in *Agricola*, ut invidenda omnibus laude fulgeret. Hæc enim dux primus existit divinorum bonorum, quæ sunt temperantia, justitia, fortitudo, & sicut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi

Cic. l. 5. de
fin. c. 6.

rum, quæ sunt temperantia, justitia, fortitudo, & sicut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi

vendi

267.
vendi ars est prudentia. Hæc, tanquam largissima mater, uberrimos fructus virtutum progenerat, quæ dum moderari animi affectibus, & temperare motus edocet, id certè præstat, quod utilissimum juxta ac necessarium maximè in vita, aulico imprimis, verè æstimatur.

X. Cujus vita innumeris exposita periculis nunquam tuta honore suo fruitur. Ipsi fortunæ est ludibrio, quæ nonnullis à principio ad finem usq; prospera, nonnullis semper item adversa: aliquando autem quum adversa principio fuerit, mox læta atq; secunda fit; nonnullis læta principio, demum infausta ac turbida evadit. Ad eo breves & mutabiles sunt vi- *Sc. Amirat. l. 3. disc. 4.*
ces hominum, & fortuna nunquam aut rarissimè tamen *Curt. 4, 14, 19.*
simpliciter indulget. Nihil verò rerum mortalium tam *Tac. 13, 19, 1.*
instabile & fluxum est, quàm fama potentie non suavi- *l. 5. c. 26. ante f.*
nixe. Nec ineptè de talibus maximus autor Polybius, *l. 5. c. 26. ante f.*
quam in universum, ait, omnes mortales parvis momentis
& sublimes evebantur, & rursus dejiciantur, tum in iis, qui regum aulas colunt, id præcipuè locum habet. Planè enim similes isti sunt calculis, quos in numerariorum abacis est videre: Nam ut hi pro lubitu modò chalcum seu oboli sextam partem valent, modo talentum: ita etiam aulici ad regis nutum beati aut miseri repente existunt. Licebit tamen paulò curatiùs intendere operam, & inquirere in causas tam mutabilis status, ductu nostri auctoris, qui tria adduxit potissimùm, quæ tum nocuere Agricola: infensum, scilicet, virtutibus principem, *Tac. Agr. 41, 1.*
gloriam viri, & pessimum inimicorum genus laudantes.

XI. Primum horum Principis facit genium: Enimverò, quum boni etiam aliquando non libenter
C ter

ter videri velint debere aliquid virtuti ministri, teste
 Comin. l. 5. Ludovico IX. Galliarū Rege, qui eo se ingenio esse ipse
 p. 332. indicat, ut quos sibi ob aliquam beneficentiam sciret ob-
 strictos, eò plus diligere, quàm quibus debere se aliquid
 ipse putaret; quid pravis & infensis virtutum exerci-
 tio accidet? qualis Domitianus erat, sub quo agebat
 Agricola; qualesq; vix experta ætas nostra multum
 Plin. paneg. felicitatis sibi tribuit. Adeò in principe rarum ac pro-
 c. 60. n. 6. pè insolitum est, ut se putet obligatum; aut, si putet, amet.
 Sen. ep. 81. Prima enim causa est, cur quis ingratus sit, si satis gratus
 esse non possit. Et eò perductus est furor, ut periculosissi-
 ma res sit beneficia in aliquem magna conferre: nam quia
 putat turpe non reddere, non vult esse cui reddat. Inde
 graves sibi ducunt mali principes, quoscunq; vel in-
 noxia virtus, vel præclara in Remp. merita commen-
 dant. Et illos quidem in cladem impulsos cupiunt,
 quòd sapientiæ moribus instituti improborum mori-
 bus videntur difficiles, & vitia, quæ foedant rerum
 dominum, honestissimè vivendo velut accusant: his
 verò infesti sunt & execrabilia, quia, quam bonis ar-
 tibus gloriam quæ siverunt, illà adversus principem
 eos abufuros suspicantur. Hinc idem sub talibus ex
 Tac. Agr. magna fama periculum, quàm ex mala.
 5, 6. XII. Et quò plus admirationis & laudis habuerit exi-
 Buchn. ad mium aliquod facinus, eò invidia patet magis, quò plus
 d. l. quòq; periculi est. Nam eximiam virtutis magnitudi-
 Boecl. Char. nem sæpius suspectam habere etiam prudentes so-
 Vellej. c. 2. lent: mali verò hoc timent magis; quia nocere sibi
 n. 19. eandem posse autumant. Tum virtutis exuberantia
 Sc. Amir. l. scopulus est periculi plenus: simplicitas astutia nomen
 4. Disc. 2. fert, & liberalitas corruptela videtur: nobilitas & divi-
 p. 203. tia mortis illecebra sunt. Sic

Tristis

*Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti.*

Ipse Agricola Parens Græcinus virtutibus iram
C. Cæsaris meritis Nostro dicitur. Et Germanicus
quum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ reti-
neret, per laudes & memoriam virtutum celebris,
alienationem patris funesta tandem morte pia-
bat.

XIII. Quum etiam ulterius affligitur magnæ vir-
tutis nomen, & sociis ipsis atq; amicis odio est. Unde
fit, ut non criminando & accusando tantum inno-
centem conentur evertere, & movere ei odium apud
Principem, quæ vulgatio ac manifestior nocendi in
aulis ratio est; verum laudando etiam, quod multo pe-
stilentius occultiusq; est, & verè pessimum genus hoc
Nostro dictum. Commendant scilicet virtutes in speci-
em magnificè, sed adjectis quibusdam sequioris famæ labe-
culis, quas minuendo & excusando imprimunt, augentq;
donec motam in animo principis invidiam aut timore
iram sentiant, & sic demum ad interitum ejus, quem
oderunt, perveniant. Qua arte egregiè instructa
Roxolana, ut Solimanni Conjugis animum à filio Mu-
stapha averteret, sibi privigno, opportunam jam
ætate & laudis bellicæ opinione egregiam, certamq; im-
perii spe Juvene, primum illum à specie Imperio di-
gnam, & exercitiis bellicis laudando, deinde à liberta-
te, quæ non solum prætorianos sibi devinxerat, sed ut
cæteri præ se contemptui essent effecerat: mox ubi nu-
tare Solymanni mentem vidit, ex suspitione eum
postremo in odium adduxit, ambigua verba jacien-
do, & exemplum Bajazetis & Selymi Patris in medium
afferendo. Quibus artificiis tandem perfecit, ut fu-

C 2

rens

708
Sen. Hippol.
act. 3. v. 981.

Agr. 4, 2.

Tac. An. 2,

72, 3. 2, 73, 1.

2, 43, 8. 2,

69, 1. seq.

Buchn. ad

Tac. Agr.

41, 1.

Boecl. ad Tit.

An. 1. c. 10.

not. 16.

Thuan. l. 12.

p. 244. D.

seqq.

rens amore conjugis senex in suspectum primò acriùs inquireret, mox Constantinopolin vocatum, & eadem Rustani purpurati malitiâ exceptum, Eunuchis intra tentorium strangulandum objiceret.

XIV. Ad tales igitur casus evitandos nihil necessarium magis aulico, nihil magis utile, quàm instructus Prudentiâ animus est, qui & observare Principis mores, & semet regere, & cum sociis atq; amicis versari ita possit, ut nec offendat aliquem, nec invidiam sibi temerè faciat.

Tac. An. 4,
20, 4.

XV. Est enim omninò aliquid in nostris consiliis, licet q̄ inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.

Tac. Agri-
colâ. 42, 6.

rei egregium planè exemplum ipse noster Agricola præbuit, qui moderatione ac prudentia lenibat iram Domitiani. Insigni exemplo, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumq; ac modestiam, si industria & vigor adsint, eò laudis excedere, quò pleriq; per abrupta, sed in nullum reip. usum, ambitiosa morte in-

Id. 6, 10, 4.

claruerunt. Quod idem egregiè observavit L. Piso Pontifex, qui nullius servilis sententiæ spontè autor, & quoties necessitas ingrueret sapienter moderans, rarum in tanta claritudine fato obijt. Scilicet sapienti modera-

Buchn. ad

Tac. An. 1.

c. 7. Obs.

pol. 1.

Sc. Amir. 1.

4. Disc. 3. p.

206.

tione opus est, & licet adulatio ut humilis semper atq; servilis nullam unquam ex se mereatur laudem, venià tamen digna est, quum loci & temporis necessitate excusatur; modestiaq; & cautio potius quàm adulatio est.

XVI. Et tales si ita sibi moderari nòrunt egregiè, non semel profuere Reip., adeò ut doctissimi viri rectè ex eo feliciorum Reip. judicârint jamdudum, quæ malum principem nacta esset, cui boni adsint in consiliis, quàm quæ bonum, qui malis utatur. Quamquam

quam enim neutrum adeò conducat Reip., attamen si ex duobus malis eligere alterum liceat; prius certè amplectendum. *Nemo enim perpetuò pessimus est: dantur intervalla & vitiiis: nec quis tam desperatè nequam est, ut non virtutem aliquando justa estimatione veneretur. Potest & malus igitur bonos & praeclaros allegere in consilium: neq; hoc tantum, sed ferre & pati, & auscultare etiam, si lenitate morum temperaverint virtutes. Quod si fiat, quantò facilius erit à multis unum corrigi, quàm ab uno plures superari?*

Buchn. Int. sub. d. 28. Octobr. 649. Lamprid. Sev. p. 136. f.

XVII. Hujusmodi verò Prudentiæ ut aptus evadat animus providendum à teneris est. Sic *Agricola educatus est in sinu indulgentiæq; matris, ea scilicet quæ nec laxaret frena nimis, nec asperitate nimiâ sæviret. Quem modum & Apostolus præcipit, dū ad iracundiam provocari liberos prohibet, ut & mederetur quorundam tyrannidi, & leniorem juxta disciplinam corrigeret. Facit enim nimia severitas vecordes liberos, & ad desperationem adigit facilè: malignos verò & pertinaces blanda & mollis educatio perficit; quod utrumq; iracundiæ est. Atq; hæc educatio maximum omninò bonum est, quod conferre in nos parentes possunt, adeò, ut non ineptè philosophetur Seneca, hac de re, dum minimum esse beneficium colligit patris matrisq; concubitus, nisi processerint alia, quæ prosequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent. Nec enim vivere bonum est, sed benè vivere. Quod vix impetrabis, nisi ita instruaris à teneris, ut per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamq; transigas. Earum videlicet, quibus animus ad honesti cultum aut preparatur, ut sunt literæ & liberales quæ appellantur artes; aut instituitur, quales Philosophia,*

Tac. Agr. 4, 3. Epehes. 6. v. 4. Oseand. ad h. l. Sen. de Ira l. 3. c. 21. m. l. 3. Benef. c. 21. Tac. Agr. 4, 4. Buchn. ad h. l.

quæ & Eloquentia & Jurisprudencia non indignè audi-
unt: quæ ipsæ & summam honestatem, & magnum
usum reip. negotiorumq; civilium habent. Et ita parvu-
lus statim Agricola instituebatur. Simplicior enim rudi-
orq; est tenera ætas, & hoc aptior quovq; virtutis fementi.
Et sicut cera duci, dum mollis est; & flecti in rectum ar-
bor, dum surculus & nondum in truncum induruit; sic puero-
rum ætas tenera & nondum tacta vitis aut saltem corru-
pta leviter honesti rectiq; rationem imbibit facile, regi-
se patitur, dura ac aspera futura monitis, quum adoleve-
rit, at desperata penitus, quum jam non tam adulta vitia,
quàm inveterata sunt. Sic laudatus Livio Servius Tul-
lius puer statim eruditus artibus, quibus ingenia ad ma-
gnæ fortunæ cultum excitantur.

XIIX. Accedebat ad curam sedes ac magistra stu-
diorum Massilia, locus Græca comitate & provinciali par-
simonia mistus ac benè compositus. Ac comitatem qui-
dem quum dicit lepidiorem sed frugi tamen & paulò
humaniorem convivendi rationem intelligit, quæ
non tam sumtu cœnarum, quàm elegantiam, non po-
culorum vesaniam, sed hilari modestiam constaret,
præcipuè verò honestissimis sermonum voluptati-
bus censeretur. Parsimoniam autem vocat, quæ &
frugalitatem appellamus, quæ & modestia seu mode-
ratio & temperantia dicitur, & fortitudinem, justiti-
am, prudentiamq; ; si Tullium audimus, complecti-
tur. Ac oportet talem locum elegisse Agricola, ubi
doctrinæ plurimum corruptelæ verò minus esset,
ut nō discere modo sed & exercere & in usum vertere
sapientiæ dogmata posset: quoniam ubi experiretur etiam
mores externos, & horum salubritate instrueret ani-
mum.

Tac. Agric.

4, 4.

Buchn. ad

b. l.

l. 1. c. 39.

Tac. Agric.

4, 4.

Buchn. ad

b. l.

770.
mum. Quo loco de insigni peregrinationum utili-
tate admonemur. Præterque enim quod *coelum imite-* Lips. Cent.
tur quævis divinior mens, & motu gaudens non resideat 1. ep. 22.
domi, terra sua cum humilibus illis ac plebejis animis affi-
xa: non mediocriter informatur ad prudentiam, &
si diversis in locis diversos hominum mores & insti-
tuta; vivendi rationes in aulis; in rebus publ. formas
atq; consilia; in monumentis antiqvis mirandas re-
rum vices contempletur, atq; observet. Majore
autem cum fructu peregrinas terras petet, qui usita-
ta illis lingua vel mediocriter sit instructus: adeò ut
non dubitaret Illustris Baconus, quum inter insignes
alias peregrinantis institutiones de his sibi sumit ini-
tium, statueret: *eum, qui proficiscitur in partes, anteq-* Serm. fid. 18.
in lingua gentis, quam adit, aliquos progressus fecerit, ad
ludum Grammaticum, non ad peregrinandum vadere.
Sed ista obiter tantum, neq; enim peregrinantem in-
stituimus, aut de peregrinationis commodis agere
hoc loco propositum est.

XIX. Talibus instructus, si quis ad aulam accesserit, in eo consequendo omnis ejus defudet labor necesse est, sine quo nec damnari voti sui, nec si initio quædam aspiraverit felicitas, in eadem persistere ullo modo potest, gratiâ & amore Principis. Hac enim deficiente, quæ honoris aut emolumentum spes supererit? Timeri autem magis à principe, quàm amari vix sine ultima clade tentaveris. Sic Romæ, vel charus vel toleratus Cæsari aliquandiu fuerit *Sejanus*, certè ad summum usq; pervenerat. *Efferebat eum*, Tac. An. 3,
Tiberius laudibus publicè: censebant eidem effigiem Pa- 72, 3.
tres, quæ apud Theatrum Pompeji locaretur. Neq; multò
post Cæsar, quum Junium Blæsum, Procos. Africa, tri-
umpbi

umpbi insignibus attolleret, dare id se, dixit, honori Se-
Tac. 4, 68, 3. jani, cujus ille avunculus erat. Ad consulatus etiam non
Svet. Tiber. nisi per Sejanum aditus erat. Eundem tamen res novas
c. 65. molientem, jamq; sibi timendum, eadem astutiâ Cæ-

lar intervertit, quâ iste ad tantæ potentiæ culmen,
Marian. de enixue ante fuerat. Alvarus Luna in aula regis Ca-
reb. Hispan. stellæ triginta circiter annos ita dominatus fuerat, ut
l. 22. c. 12. nihil neq; majoris neq; minoris rei, nisi eo arbitro,
§ 13. gereretur: & ne vestes quidem rex aut cibi genus, aut
aulæ ministeria, nisi ejus voluntate mutaret. jamq;
nihil ei ad regnum præter nomen deerat, quum tan-
ta felicitate abusus, potentiâ & crudelitare regi suo
formidabilis esse inciperet. Sed lata in eum paulò
post ferali sententia, nihil habuit reliquum quàm ut
superbas cervices securi submitteret, hoc fretus sola-
tio: Viro fortis mors turpis esse non potest, neq; imma-
tura tantis honoribus defuncto. Sumtò de eo supplicio,
ex tam immensis divitiis usq; adeò superfuit nihil,
quo sepeliretur, ut triduo integro cadaver in sugge-
stu jacuerit, pelvi juxta posita, in quàm prætereuntes
conjicerent stipem, in funeris sumtum. Hunc finem
habuit homo, paulò ante Regib. potentiâ exæquan-
du. Adeò metus domini exitium servi est: Et fata vix
sinunt superbos famulos feliciter mori.

XX. Ut igitur ametur à Principe aulicus, de cognoscē-
do ejus ingenio & aulæ, utq; sit *gnarus sub Principe tem-*
porum, sicut loquitur Noster, ante omnia operā dabit.
Namq; & nautam oportet, antequam egrediarur por-
tu exactam maris habere notitiam, quò sciat & quò
dirigere cursum & quos vitare scopulos debeat. Qua-
re qui huic tam periculoso mari se credere velit, rati-
onem illius probè antea oportet discere, ut sciat mo-
derari

derari actiones suas, itaq; dirigere, quò neq; offendant
 & à turpi adulatione tamen absint. Quæ cognitio etsi
 difficilis planè ac ardua, (*nec enim apparent facile im-*
mixta virtutes vitis, & sicut suffimentis fatorem tolli-
mus, ita tegunt autoritate & potentiâ principes ea, quæ
non satis rectè admiserint) Minimè tamen negatum,
 callidioribus penetrare in hæc arcana, & deprehendere
 verum latens. Nempe introspicendum est penitiùs,
 & ex crebris actionibus tandem judicandum, quò
 quisq; ingenio præditus sit. Nec enim *Sejano* deerant
 artes, quibus *Tiberium*, obscurum adversus alios, & per
 inde divina humanaq; obtegentem, sibi incautum inte-
 ctumq; efficeret.

Sc. Amir. l.
 4. Disc. 7. p.
 229.
 Buchn. ad
 Tac. An. 1,
 6, 2.
 Tac. An. 1,
 76, 2. 4, 1, 4.

XXI. Intellecto principe peritè probabit obsequi-
 um, quò quanto quis in aula promptior, honoribus
 quoq; extolletur. Quum nihil magis ament Princi-
 pes, quàm obsequiosis ministris uti. Intelligimus a.
 h. l. per obsequium eam voluntatis, studii, operæ, ad-
 dictam promptitudinem, quæ se ingenio Regum & Regiæ
 Principum atq; Principatûs, ubiq; cum arte & cura, hone-
 stâ tamen, accommodat.

Tac. Agric.
 8, 4.
 Boecl. ad
 Tac. An. 1,
 2, 11.

XXII. Erit itaq; in expediendis negotiis strenuus.
 Assiduitas enim ac diligentia in omnibus rebus valet pluri-
 mum, & nihil est quod non ea assequatur. Solaq; ferme
 ad mandata velocitas nihil habet, quod non placeat.
 Tantò a. gratior acceptiorq; Principibus celeritas est,
 quò minus ferre moras possunt, ob animorum cele-
 res motus ac vehementes, quibus agi solèt; Ut quum
 se quidvis efficere posse statuunt, hoc tantum sibi de-
 esse putent, ut quàm celerrimè fiat. Nemo verò in
 isto freto portum tenebit, nisi qui intelligat sibi curam la-
 boremq; esse assiduum debere, ut hæc ipsa, quæ in ejusmo-
 di vita

Cic. l. 2. de
 Orat. p. 220.
 B.
 Bacon. s. f.
 Parab. 19. p.
 306.
 Barcl. Icon.
 an. c. 14.

D



2,79, 1. di vita (ut solet) molli iucunditate blandiuntur, in severos
usus flectat, & semper in iis delitiis inveniatur industria cu-
rarumq; materiam. Hoc nomine laudatur Paterculo
M. Agrippa, virtutis nobilissima, labore, vigilia, pericu-
lo, parendiq;, sed uni, scientissimus. Ita enim id conse-
cutus est, ut eo amicissimò, adq; gubernandam for-
tunam suam adiutore Augustus uteretur. Quod si ef-
ficax igitur industriusq; Aulicus fuerit, fieri non po-
test, quin strenuè seduloq; fungentem partibus, & a-
met princeps, atq; extollat.

Tac. Agric.

8,4.

XXIII. Ita tamen in iis se gerat oportet, ut procul
absit à gloria, & quæ perfecit egregia non sibi tribuat,
nec in suam famam exsultet gestis: sed ad autorem & du-
cem, ut minister, fortunam referat. Poscit id sanè au-
spiciorum vis, in quam rem nunc vix temperamus
nobis, quin nostra faciamus, quæ planè egregia ad
hunc locum Clariss. Buchnerus differit: Sicut Princi-
pes, inquit, deliberatione maturà sibi ministros cooptant,
quorum utantur operà in obeundis publicis curis, sic Deus
certà destinatione allegat in terras, qui suas vices ibi a-
gant; qualemq; cuilibet regno aut populo pro meritis aut
voluntatis suæ arbitrio arcano dispensavit fortunam, ta-
lem eidem largitur principem, felicem atq; egregium, qui-
bus faveat; infortunatum aut prævum, quibus iratus a-
versusq; fuerit. Ita fit, ut quicquid geritur publicè, be-
nèq; aut contra evenit, ad Principem maximè referre o-
porteat. Quippe quo destinationis suæ ministro & exe-
cutore DEUS voluerit uti. Qua de causa non iniquissi-
mè Reges ac Principes secunda ac prospera (quod Pandates
apud Nepotem videtur queri) fortunæ suæ vindicant; illud
iniquè, quòd adversa casuum hominibus suis tribuant tan-
tùm. Nam quamvis multa ministrorum culpà cedant per-
peram,

Datame. p.

235.

772
per am, id ipsum tamen non illis tantum, sed principis quoque
fortuna adscribendum est; quæ eum in meliores ministros
incidere passa haud fuit. Quemadmodum enim, quos ma-
gnis prolixisque rebus destinavit Deus, iis & adjuutores ido-
neos, & conficiendis operibus maximis pares adungere
solet; sic, quos in pœnas & clades publicas voluit nasci, iis
non ipsis tantum prudentiam & salutarem agendi adimit
vim; sed & non alios temerè ministros sinit sortiri,
quàm qui promoveant fatum publicum strenuè: nunc te-
meritate ac imperitiâ, nunc scelere atque perfidiâ peccantes.
Non quòd tales concinnet Deus; sed quia previdit his mori-
bus esse ac indole, quæ apta imprimis ad destinata confici-
enda. Ac licet isti divinae iræ ministri sint, culpâ tamen
hant vacant, & jure pravitatis suæ pœnas dant. Nemi-
nem enim malum esse cogit Deus, sinit tamen, & suo relin-
quit genio malo, qui auscultare recusaverint bonum. Iis quoque
utitur, ut per eos plectat alios, & dum id facit, justo sup-
plicio ipsos evertat. Quum itaque tanta auspicio-
rum seu principalium sanctitas sit, quæ summo Numi-
ni, unde origo quoque, fluit proxima haberi debeat; tan-
ta eorum efficacia ac vis, ut eò, quæ fiunt gerunturque publi-
cè, referenda omnia sint, non usurpandum temerè alicui
quicquam est, quod vindicare illa sibi jure queant.

XXIV. Accedit tenerrimus regnantium sensus,
quos nunquam periculosius offenderis, quàm quum
autoritatem eorum ac gloriam jactando videaris ten-
tare. Quare & inter arcana Dominationis regie refer-
ri solet, ne rerum actores rei gestæ famam ad se trahant,
quum ea ratione majestas principis atque existimatio
opprimi soleat.

Clapmar. de
arcan. re-
rum. l. 3.
c. 11.

XXV. Inter pares etiam ac socios sæpè pessimè ver-
tit jactantia, qui quum in commemorandis talibus fe-

contemni vident, facilius in interitum gloriantis consentiunt.

XXVI. Videbatur sibi imposuisse tot annis, qui-
Thuan.l.46. p. 876. seq. bus decertatum erat in Belgio, magnum diem *Ferdi-*
mandus, Albe dux, jamq; summus ea etate Imperator vel
inimicorum confessione audiebat, quum parum fe-
lici consilio Antuerpiæ sibi trophæum poneret, præ-
ter alia invidiosa simulacra cum hac inscriptione:
FERDINANDO ALVAREZA TOLETO, AL-
BÆ DUCI, PHILIPPI II. HISPANIARUM APUD
BELGAS PRÆFECTO, QVOD EXTINGTA SEDI-
TIONE, REBELLIB. PULSIS, RELIGIONE PRO-
CURATA, JUSTITIA CULTA, PROVINCIIS PA-
CEM FIRMARIT, REGIS OPTIMI MINISTRO
FIDISSIMO P. Verum non provincialium modò
odium hac re concivit, sed primùm aulæ Hispanicæ
de bell. belg. dec. 1. l. 7. p. 348. seq. invidiam, mox *Regem* ipsum offensum expertus est,
Tac. An. 1, 22, 1. *agrè passum, aliis excitari monumentum victoria, Regis*
auspiciis ac victoriis reportata. Quæ Stradæ Epicrisis est.
Diversa ratione devictis Germanis Germanicus Cæ-
sar in trophæi modum congeriem armorum struxit,
superbo quidem cum titulo: DEBELLATIS INTER
RHENUM ALBIMQVE NATIONIB. EXERCI-
TUM TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA
MARTI, ET JOVI, ET AUGUSTO SACRAVISSE.
De se verò nihil addidit, *metu invidia, an ratus consci-*
Tac. Agric. 6, 5. *entiam facti satis esse.* Et Agricola noster ipsum tribuna-
tus annum quiete, hoc est, absq; potentia ostentatione,
transegit. Quod quum dicimus, non planè sileri vo-
lumus egregia facta, quod abjecti animi esset; Sed i-
ta memorari, ut ne decore seposito earum prædica-
tio verecundiâ careat.

XXVII.

XXVII. *Quin omnis sermo ita temperatus sit, ut nec offendat Principem, nec quemvis alium temerè, cum quo agendum. Joci imprimis, si quos adhibere velis, ad principis animum temperandi, ne acerbiores videantur. Quum talium apud prepotentes in longum memoria sit: vereanturq; Principes ne plura audeat, qui eorum personam sale perstringere non dubitaverit. De Carolo V. Optimo Imperatore Piccartus observat, quum aliquando in Belgio gravissimos podagra dolores expertus, remittente morbi vi, infirmo admodum & titubante gradu niteretur, Maximilianum Buranum adstantem à risu non sibi temperavisse. Cujus causam inquirenti Carolo, & quum prius negaret risum, instanti acrius, tandem prolapsus in genua, & deprecatus amentiam, vidi, inquit, OPT. MAX. Cæsar, Majestatem tuam tam infirmo gressu niti, risiq; adeò totum Imperium Romanum in tam caducum inclinare parietem. Ad quæ Carolus: non me latebat hæc risus tui causa; at vide, ne te Severus aliquis doceat, caput imperare non pedes; & cave alium ex hac causa ridere, ne tibi caput vacillet. Egregio planè prudentis clementiæ exemplo juxta, ac documento, ut ingenua potiùs gravitate, quàm verborum ludibriis hæc Numina colamus.*

Tac. An. 5, 2, 3.

Decad. 14. c. 2. p. 72.

XXVIII. *Facilis itaq; sermone sit, sed cautior tamen, ut & ambitionis fugiat suspicionem, & odium atq; periculum vitet. Ac talem se adversus superiores non modò, verum æquales etiam, gerat: nec obliviscatur suam inferioribus quoq; comitatem deberi: quorum benivolentiâ & studiis florere multum non rarò aulicum juverit, præcipuè, quos diligit princeps.*

Tac. Agric. 40, 4.

XXIX. *Patientia quoq; obsequii pars, eò magis necessaria*



cessaria aulico est, quò faciliùs principes sua autoritate freti, tale quid admittunt, quod in detrimentum ministri vergere possit. Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat, quum illum quidam interrogaret, *quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: Injurias*, inquit, accipiendo, & gratias agendo. Sæpè enim adeò vindicare injuriam non expedit, ut ne fateri quidem expediat. *Optimè a. miserias ferunt qui abscondunt*: certi, nec vindictæ locum esse in principe; & si patefecerint, sibi ipsis fore turpitudini.

Tac. Agric. 42. 6. XXX. *Iratum* verò si principem sentiat, *moderationem* adhibeat, eàq; leniat, *nec contumaciâ inani ve jactatione libertatis fatû provocet. Ignara n. cedendi & obsequedi elati animi ferocia, licentiâq; verborum, quæ vitia contumaciæ & jactatæ libertatis nomine Nostro veniunt, utraq; aliena ab aulis: ubi quò magis obsequium atq; modestia placet, eò citiùs libertas & contumacia offendit atq; periculosa est.* Ea enim & *Charidemum* evertit, *oblitum suæ sortis, nec obtegentem satis iram, quâ Alexandro infestus erat, quum offensum libertate nimia, jamq; ad supplicium trahi jubentem, magis incitata oratione adhuc offenderet.* In *Clitum* etiam, eadem libertate utentem, ingentem iram conceperat Alexander, imperaturus tamen animo, si finem procaciter orto sermoni *Clitus* imponeret: *Qui* pertinacem petulantiam tandem atroci morte piavit. Præstabit itaq; irritato non nihil principe, composito ad mœstitiam gravem atq; modestam vultu & animo, se minùs lætum hilaritatemq; præbere, quodam pœnitentis habitu, nihilq; eorum relinquere, quæ ad placandos & reconciliandos animos pertineant.

XXXI.

XXXI. Sed quum verè non modò canat ille Vates:

— *Locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat & obruitur re.*

Sed & principes optimi aliquando suspicionem, pessimam invidiam inde capiant, sapienter moderatus fuit Agricola, quum non gaudebat nimis opibus, quæ tamen speciosa contigerant. Satis enim cognoverat prudentissimus vir, maximam animorum pestem esse avaritiam: nullumq; esse officium tam sanctum atq; solenne, quod non eadem comminuere aut violare soleat. Quæ nisi sustuleris, neq; privata res, neq; publica, neq; domi, neq; militia, regi potest. Divitias a. non melius in fundis & in fœnore, quam in ipso hominis animo estimari. Qui, si est avaritiæ egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus aurisatiabitur, & semper aliquid ante parta quò augeat, velut accipiter inhians prædæ, aut circumspiciet, aut petet.

XXXII. Sicuti autem quas per fortunam atq; virtutem suam partas habebat Agricola opes, profudit minime; aut turpiter atq; flagitiosè prodegit, ita & tueri, quæ fas est, diligentiam ac curam, & rectè impedere, habuit pensi. In quo officio malè fuerunt nonnulli versati, qui quum notarent, quò plures aut comparatio divitiarum aut & possessio adduceret, ut crimine juxta periculoq; vacare possent, negligendas haud tantum, verùm abjiciendas etiam opes, ut noxiam atq; pestiferam rem, existimârunt: nec ullam earum curam ad bonum ac sapientem virum pertinere. Nam licet summum bonum præstare divitiæ non queant, aliquid tamen præstare possunt boni. Neq; negabit temerè aliquis, cui rectè constiterit mens, *majorem materiam viro sapienti dari, explicandi animum suum.*

774.

Her. l. 1. ep.
16. v. 67.

Tac. Agr.
44, 3.

Cic. Consol.
p. 602. H. Id.
pro Quint.
c. 6. p. 5.
D.

Sallust. Or.
de rep. ord.
p. 329.
Apul. apolo-
g. p. 186.

*Sen. ep. 9. f. suum in divitiis, quam in paupertate, quum in hac unum,
Id. de vit. genus virtutis sit, non inclinari, nec deprimi: in divitiis
beata. c. 22. Et temperantia, Et liberalitas, Et diligentia campum,
habeat patentem. Sicut deficiente terra superba,
quæq; ædificia corruunt, & quæ ad miraculum usq; di-
ligens hominum industria exstruxerat, nisi firmo sa-
tis solo sustineantur, concidunt: sic maximi quiq; spi-
ritus evanescunt, nullis terrenis opibus suffulti. Ut
non sit sapientis rejicere divitias, sed ita uti iisdem,
ut nec sordidus illarum possessor, nec luxuriosus ero-
gator audiat.*

*XXXIII. Quem modum ita observavit Agricola,
ut vel hoc nomine sapiens æstimandus jure sit, qui ita
Magnificentiam coluit, ut nec decederet ad luxum,
nec turpi avaritiæ daret aliquid. Ludos Et inania ho-
noris modo rationis Et abundantia duxit, uti longè à luxu-
ria ita fama propior. Quamvis enim id Magnificentia
genus probandum maxime sit, cujus fructus in Remp. re-
dundet, Et duraturam gloriam habeat, non brevi Et tem-
peraria voluptate, ut ludi Et spectacula solent, transeat;
tamen quia illa ritu patrio recepta, Et pars officii ac digni-
tatis erant, idcirco Magnificentia laus demenda ludis spe-
ctaculisq; non est. Neq; enim conturbat sapiens publicos
mores, sed inter malos Et publicos vitam temperat,
h. e. concedit aliquid consuetudini, tamen ut ad honesti le-
ges subinde respiciat. Quæ sicut omne illud excludunt,
quod à modo deficit; Ita excessum omnem & luxum
prohibent, quo relangvescere animos, eorumq; remitti
virtutem rectè Nervii existimabant. Nec parùm cul-
patur Tacito Vitellius, qui fortunam principatus inertem
luxu ac prodigis epulis presumebat. Præterea hoc pro-
prium sapientis opus est, nolle opibus ad periculum
abuti:*

*Tac. Agric.
6, 6.
Buchn. ad
h. l.*

Sen. ep. 15. f.

*Cæs. de bel.
gal. l. 2. c.
15. m.*

Hist. 1, 62, 3.

775
abuti: Sed licet animos affluentia rerum irriter, ventrem gulamq; freno potius inhibere, quam ut & superioribus suspicandi, & hostib. nocendi occasionem nimia istarum ostentatione praebeat.

XXXIV. Hinc Agricola, quum rediret in Urbem, *Tac. Agric. 40, 4.*
cultu fuit modeius. Scilicet magni Viri non ex vestium splendore, sed fama virtutum conspici & aestimari volunt. Buchn. ad h. l.
Non tamen cultum omnem abjiciunt, sed retinent aliquem, ne sordidi videantur, & ita vilescant.

XXXV. Hucusq; progressis pauca de amicis aulici tradere haud abs re fuerit, & ipse Tacitus monet, dum uno aut altero amicorum comitatum *Tac. Agric. 40, 4.*
trahit. Est a. omnino res necessaria in aulis, omnis generis homines utiles aestimare sibi, & quum nulli ferè ipsa fortuna non tantum inimicorum, quantum amicorum conciliaverit, vel ne offendendo alienentur à nobis aequalium aut inferiorum etiam animi, cavere.
Quis enim tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat? Et sub Tiberio libertis quoq; & janitoribus Sejani notescere pro magnifico accipiebatur. Idq; modestia & liberalitate facilè quis sibi paraverit. Sen. de benef. l. 3. c. 22. f. Tac. An. 6, 8, 7.

XXXVI. Sed de talibus eligendis, quibus tuto *Max. Tyr. diff. 36. p. 249.*
te tuaq; credas, majoris certè laboris atq; periculi est. Rarissima enim res amicitia est, cujus tamen umbram ubiq; invenies. Adeò.
Plaut. Pseud. act. 1. sc. 3. v. 156.

Pauci ex multis sunt amici homini qui certi sicut. Et videas tales tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminui, transferri, desinere. Imprimis miseros studia destituunt, quum aula gratia in contrarium circumacta est. Rejicere tamen ideò tam sanctum amicitiae nomen, parùm prudentis, quum violare ipsius humanae societatis jura foret. Neg, enim
Tac. hist. 4, 52, 3. Marian. l. 22. c. 12. Cic. off. l. 1. c. 7. p. 466.

E

nobis H.

nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria
vendicat, partem parentes, partem amici. Priscum,
Plin. paneg. c. 85. n. 1. mortaliū bonum est amicitia, & nihil æquè oblectat a-
nimū, quàm eadem fidelis & dulcis. Quantum enim
Sen. de tranq. an. c. 7. bonum est, ubi sunt preparata pectora, in quæ tuto secre-
tum omne descendat, quorum conscientiam minùs quàm
tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, senten-
tia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, con-
spectus ipse delectet? Quorumq; in animo, velut in pa-
rentum amantissimorum pectore, letior vitæ tuæ status
Valer. Max. l. 4. c. 7. f. vigeat, tristior acquiescat. In aula verò tantò necessa-
ria magis hominibus est, quantò magis illorum vita
exposita periculis, aut quotidie casum suum timet,
aut è longinquo intuetur. *missi homines viris*
XXXVII. Neq; tamen facile recipere amicitias debe-
mus, neq; temerè conjungi cum quibusvis, nos compellan-
Plut. de mult. am. p. 49. D. tibus, aut pertuò eos qui se nobis applicant, admittere;
sed ipsi potius eos apprehendere, quos experti sumus
dignos esse amicitia, usuiq; futuros. Igitur quantum
fieri poterit vacuos à cupiditatibus eligat. Serpunt enim
Sen. de tranq. an. c. 7. vitia, & in proximum quemq; transiliunt, & contactu no-
cent. Et ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam
corporibus & morbo flagrantibus asideamus, quia peri-
cula trabemus, afflatuq; ipso laborabimus: ita in amicorum
legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inqvi-
natos assumamus. Initium morbi est, agris sana miscere.
Ad hæc inconstans omnis obnoxius vitis animus est.
Virtus a. est, quæ amicitiam & gignit & continet: nec
Cic. de ami- cit. c. 6. p. 563. E. sine virtute amicitia esse ullo modo potest. Cui si
In V. Attici. p. 389. f. morum similitudinem jungas, habebis, quibus ma-
ximè conciliantur, qui serio ament, ut admiretur pla-
nè Atticum Corn. Nepos, qui cum M. Cicerone à con-
disci-

discipulatu vivebat conjunctissimè, multò etiam familiarius, quàm cum Quinto, cui soror ejus nupta erat: ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quàm affinitatem.

XXXVIII. Sed neq; horum plurimos conciliaſſe Tibi proderit, ſufficient pauci iig, fidi, quum multos ſimul dijudicare difficile, cum omnibus verſari impoſſibile ſit. Maximè enim variant hominum animi: &, dum uni placere cupis, facilè offendes reliquos. Quin etiam invidiae eſſe videas aliquando, à multis amari. Agricola uno aut altero tantùm amicorum comitabatur, ut averteret invidiam Principis, & quàm in iſto inſenſo virtutibus, virtutis fama pepererat, modestia leniret.

Plut. d. l. F.

Tac. Agric. 40, 4.

XXXIX. Integritatem quoq; & Abſtinentiam non commemorare, injuriam virtutum. Tacitus interpretatur. Quæ ſicut omne in ſe virtutis nomen continent, ſi latiùs accipias, ita nullo non felicitatis genere hominem beāt, extollunt, & ſupra cara mortalibus collocant.

Tac. Agric. 95.

Sen. ep. 87. m.

Velut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hyemesq; relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum,
Celfior exſurgit pluviis, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animus, per tanta negotia liber
Emergit, ſimilisq; ſui, juſtiq; tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia ſvadet.

Claud. paneg. Theodof. v. 205.

Quo fit, ut, ſi inſeſtatus talis ab invidis fuerit, ſubſiſtat, non ſecus, ac in medio mari edita ac altisſimis defixa radicibus rupes, cujus ſumma fluctus ne attingunt quidem, infima ſic verberant, non ut eam commoveant, ſed ut ipſi frangantur.

Schönhof. Embl. pol. 49.

F I N I S.



Wittenberg, Diss., 1650-51(1)


Vd 17

ULB Halle 3
002 673 339



56.







14175.

Q. D. B. V.
Ad
Vitam Agricolaë
Quam Tacitus tradit
DISSERTATIO POLITICA
DE

M 12
50
22
27

AULICO

Quam
P R Æ S I D E
DN. MICHAELE VVEN-
DELERO,

S.S. Theologiæ Lic. Practicæ Philosophiæ Professore
Publico, ac p. t. Almæ Leucoreæ Rectore
Magnifico,

Domino, Patrono, ac Præceptore suo
etatem colendo,

Publico eruditorum examini subjicit
JOHANNES DAVID OPPEL,

Eq. Misn.
Ad diem XI. Julii.
In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,
Typis FINCELIANIS,

ANNO clb lbc L.

